

A, tionis & calamitatis de longè venientis? Ad cuius confugietis auxilium & vbi relinquetis gloriam vestram, ne incurruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? Et Hier. 5: Causam viduæ non iudicant, causam pupilli non dicunt, & iudicium pauperum non iudicant. Nunquid super his nõ visitabo, dicit Dominus, aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea? Et cap. 22: Hęc dicit Dominus: Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neq; opprimatis iniquè, & sanguinem innocentè ne effundatis in loco isto, &c. Quòd si non audieritis verba hæc, in memetipso iuravi, dicit Dominus, quòd in solitudinem futura sit domus hæc. & Zachariæ 7: Hęc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium verum iudicate, & misericordiam & miserationes facite, vnusquisq; cum fratre suo. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo, & noluerunt attendere, &c. & facta est indignatio magna à Domino exercituum, &c. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt, & terra desolata est. Obseruet diligens lector non solum quantæ sint istæ vltiones, sed & quanto serio positæ sint hæc diuinæ comminationes: indeq; colligat, quàm irascatur Deus oppressoribus viduarum, aduenarum & pupillorum, & quanta sit humani ingenij malitia, vt opus fuerit has leges & comminationes tam graues, tamq; horrendas populo, à Deo assumpto proponere.

Tertiò expendamus etiam, quàm illi potissimum sint, qui viduas, & pupillos, & aduenas hoc nostro seculo opprimunt, & quibus id modis faciant. Primi sunt Ecclesiastici ac monastici pharisei, qui domos viduarum orationis prætextu deuorant: quibus Christus ipse Matth. 23. grauius reliquis iudicium comminatur: ob quam etiam causam merito hęc primi perstringuntur. Moritur paterfamiliàs, ac morte sua viduam & orphanos, ex vxore ac pignoribus suis redit. hęc vel in articulo mortis sub specie confessionis & conferendi morituro viatici, sicut hypocritæ fingunt, exigitur, vel domus, vel horti, vel agri, vel substantiæ domesticæ portio, quæ in perpetuũ sit posteris eius adempta, & ociosis ventribus seruiat. Si hoc non successerit, mox sepultura emenda mortuo, mox emendæ Missæ, non primæ modo, sed & septenæ, tricenæ & annuæ: & præterea toties sacerdotalis satianda venit ingluuius. vnde ex substantia viduarum & orphanorum. Si abriperet quispiam, zelo Domini commotus, viduarũ & orphanorũ substantiã à redditibus ac prouentibus Ecclesiasticis, Episcoporũ, Canonicoꝝ, & Monachorum, bene Deus, quanta opulent & suæ portione priuarètur?

Varij oppressores viduarũ & orphanorum. Ecclesiastici.

Proximi sunt iudices, qui personas & munera accipientes, vel non iudicant viduis, orphanis, aduenis & peregrinis, vel in gratiam diuitum iniustis etiam iudicijs opprimunt: inde perditionem miseris struentes, vnde debebant contra vim iniustam defendi. Eodem hoc albo, imò potius atro comprehenduntur iudices, assessores, scribæ, procuratores, & alij rabulæ forenses, perinde iustitiæ, atq; sacerdotes & monachi religionis titulo quæstũ exercentes. Si qui inter hos probi & iusti sunt, tam non indignabuntur, quod ista reprehendimus, vt ea etiam testimonijs suis, si non manifestè, in corde tamen sint confirmaturi.

Iudices.

Tertij sunt hi magistratus, qui nefandissimam illam exactionem, quam Todtsal vocant, à vidua & orphanis post obitũ patrisfamiliàs, idq; vt gloriantur, iure extorquent. Tributa exigunt à mortuo, in quem nescio quid tibi potestatis esse dicunt, eoq; prætextu spoliunt viduas & orphanos. Et ab hac immanitate & diabolica exactione, ne monachi quidem, qui se seculum hoc reliquissè dicunt, abstinent.

Magistratus.

Hos sequuntur tutores nonnulli, qui facultates orphanorum fidei suæ cõcreditas ita perfidè dispensant, vt quod aliquando depositũ erat bona fide dispensandum, paulatim vertatur in proprium. Detestabilis est ista crudelitas, & seuerissimè puniendã. Quis enim satis excretur hanc perfidiã, qua cum paternam curam miseris orphanis polliceantur, prædonis iniquitatem exercent?

Tutores.

Quid de diuifibus dicam, qui domos pauperum, viduarum & orphanorum miris technis ad se rapiunt, ne vicinos habeant miseros & calamitosos?

Diuites.

Postremò, in quem locum eos ponemus, qui viduas & orphanos efficiunt? Vtpote reges ac principes, tyrannide ac crudelitate bellica libidini suæ seruientes: deinde & creditores, debita ita absq; misericordia exigentes, vt abactis maritis ac patribus, viduas constituant, & orphanos. Quid enim discriminis est inter desolatos & viduas & orphanos? Non interficio, inquit, debitorem. At eum ab vxore ac liberis abigis, illosq; hoc pacto desolatos reddis. Debet, inquit: vtor meo iure. Debes & tu Domîno Deo tuo. Vtatur ergo & ille contra te suo iure, & adimat te quoq; vxori ac liberis.

De illis qui viduas & orphanos efficiunt.

Huc pertinent & Anabaptistæ, qui errores suos & seductores quouis clanculũ mittunt, vt vel maritum ab vxore, vel vxorem à marito, & parentes à liberis in perditionem suam abducant, atq; ita & ipsi viduos & viduas, orphanos & pupillos reddunt.

Anabaptista.

Omnium autem pessimi sunt, qui nec paternã, nec maritalem fidem, vxoribus suis ac liberis præstant, sed vel ludendo, vel bibendo, vel ociando, præsentem omnem illis facultatem absumunt: vel aufugiendo, & turpissimam nostri seculi malitiam, imò veriùs nequitiam sectando desolatos relinquunt, quibus providere cum primis debebant. Hi, sicut Paulus 1. Tim. 5. dicit, fidem abnegant, & infidelibus deteriores sunt. Certè postremum hoc viduarum & orphanorum genus multo est miserius & calamitosius, quàm prius. Licet enim viduæ, quæ morte mariti à lege est coniugij liberata, sibi se iungere marito, vt iam non sit amplius desolata, atque ita repetitis nuptijs, & sibi & orphanis suis denuò providere: id quod illis negatur, quæ viuentium adhuc maritorum solatio, coniugaliq; fide destituuntur. Huius generis viduarum & orphanorum curam hodie nemo habet, cum sint desolatissimi, & in prioribus viduis & orphanis nihil aliud sit, ob quod ita nobis à Deo commendantur, quàm quòd desolati sunt.